

tem, ipse postmodum de beneficiis nostro Gymnasio decernendis cogitare non potuisset: non video, cur hoc tempore grata nostra filere pietas debeat. Cum praesertim inelyto Viro, praeter insignem dexteritatis & prudentiae gloriam, semper affulserit benignus in rem literariam favor, seu ut rectius loquar, magnifica provehendorum Studioforum liberalitas. Ut qui, nescio quo fato, publicum in templo consiliis & sumptibus exornato testimonium non habet, chartaceam hanc tamen & eruditae sinceritatis plenam merito recipiat memoriam.

Interim, ut multos allicere poterit argumenti pertractandi dignitas, ita ne benevolentiam hanc intercipiat orationis prolixitas, daturi sumus operam. Cur enim in exemplo tam singulari quis inhærere cupiat vulgaribus, cuius forte generis sunt *coluisse nostrum Gymnasium, postea triennium Jenensibus, biennium Witebergensibus, annum Rostochiensibus consecrasse, donec à Grypswaldensibus summi in utroque jure honoris Licentiam indipisceretur.* Hæc enim nisi constans actionum & consiliorum virtus comprobasset, vereor ut insigne laudis argumentum inde posset depromi. Quamobrem qui forte legeram in Celeberrimi Becmanni Notitia dignitatum illustrium *Dissert: 10. cap. 2. §. 4.* à Carolo II Angliæ Rege datam anno 1662. Legem, ut Barones s. Regni Proceres in pileo serico sex gererent margaritas insigniores: mirabar eqvidem id eo contigisse anno, quo noster HEFFTERUS in cœlum delatus totidem gloriæ margaritis exornatus esset, ac adeo non alienum à Viri hujus meritissimi præconio fore credebam, si sex præcipuas ejusdem virtutes tanquam margaritas in terra superstites posteris adhuc affulgentes proponerem spectandas & admirandas. Etenim.

1. *Antequam ad publicas adspiraret dignitates, privatus Praxin excoluit;*
2. *Factus Senator, Prætor, Consul fidem probavit;*
3. *Vocatus ad functionem Electoralem, quantum capere posset animus demonstravit;*
4. *Pietatem vel in Templi reficiendi & restituendi cura comprobavit;*
5. *Patientiam & in conjugii orbitate, & in ultimis morborum incursionibus servavit;*
6. *Posteritati & memoria benefaciendo studuit.*

Et hujus verò generis singula sunt, ut nec ingrata credantur senioribus, qui vivam aliquando virtutem hanc conspexerunt, nec inutilia juvenibus, quorum interest renovari hominum de patria meritissimorum memoriam. Quicquid enim vel ad excolendas animi dotes, vel ad probandam honestæ villicationis fidem, vel ad declarandam